Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis 12. Novembris.

M. HENRICO MAHIEV, Doctore Medico, Præside.

An Melancholicis animi motus vehementiores?

NON sunt iis obnoxiæ commotionibus plantæ quas Græci πάθη, nos verò passiones vocare solemus. Hæ natali affixæ solo sinè præviâ cupiditate per ora patentia radicum accipiunt humorem, cujus appulsu fausto aluntur, sustinentur, folia proferunt ad ornatum, flores, fructus ac semina in gratiam sobolis futuræ. Omni animantium generi à naturâ tributum est ut alicujus rei desiderio incendatur, ut ad illam acri tendat animo, nec antè conquiescat quàm particeps fuerit votorum. Hinc ex ergastulis uteri materni vix prodit animal, quum eccè pastum sollicitè sibi quærit. Ubi viget adultius: continuò subit amor & ardor suscipiendæ prolis. Hi duo motus quorum alter est ad alimoniæ conquisitionem, alter ad fœtûs susceptionem ut sunt animalibus connati; sic eadem iis lubentissimè atque jucundissimè parent. Vix dicas quanta sit aut in amando voluptas, aut in vescendo suavitas. Dum utroque munere defunguntur, perfunduntur magno lætitiæ sensu. Maius tamen esse videtur gaudium quod ex actu venereo quàm quod ex ingestione ciborum enascitur. In omni parte corporis delectatio versatur, dum excidit libido. Quantumvis allatret ventriculus importunâ premente fame; nec vini mollioris potus, nec escarum conquisitissimarum exoptata satietas oblectamentum conciliabit, quod adeò molliter illabatur in sensus. Præter hæc duo pathemata animalibus communia: Sunt & alia plura quibus singula singulariter exercentur. Sic superbia Pavonum, Leonum ira nobilitatur. Unus homo pluribus patere cupiditatibus videtur quàm animalia cætera. Quæ eas frangere deberet anima quâ regitur, illum sæpiùs agit in varias perturbationes. In hominum specie fœmina rerum sexcentarum studio flagrat impotens sui domina. Nunc huc, nunc illuc flectitur. Quod mirêre tam risu quàm fletu vel eodem puncto temporis effertur. Nescia quid odio, nescia quid amore prosequatur. Adeò varium & mutabile semper fœmina.

DIVERSIS homo cietur motibus: Alij sunt qui naturâ motrice perfici videntur. Sic elabens è ventriculo chylus vasotum ostia subit, suâque permistione cum sanguine sanguis factus universum corpus præterlabitur vitali nectare cuncta recreaturus. Alij sunt motus quibus agitantur partes; nec ad animam pertinent, licèt ope nervorum fiant. Sic qui somno graviter indulgent, mox in illam, mox in aliam versant se partem absque gubernatricis imperio voluntatis. Alios observare est motus qui ad animam unicè referuntur. Quod evenit, quum ea secessibus imis cerebri condita, quasi Limax testâ circumtegente, dè rebus attentè cogitat expurgatis ab omni materiæ fæce. Motus alios percipias qui quod ex tacitâ rerum consensione vel dissensione nati dicuntur occulti. Quæ sit eorum causa parens an corpus, an anima? Lis est sub judice. Denique motus occurrunt qui corporeis organis perpetientibus & agente animâ fœlicitet absolvuntur, sensus putà & animi motus. Sensus elicitur quum organum obviæ rei contactu sinè famulis speciebus affectum placidè movet cerebrum; cerebrum verò animam. Oriuntur animi motus; cùm ab objecto vim inferente succutiuntur humores, certâ ratione flectitur organum & ipsa quum cerebro moto anima violentiùs agitur. Nonnunquam ipsa quæ præest corpori, corpus perturbat anima: dum eadem gaudia rursùs deperit quibus antè potita est; vel horret præterita secum reputans mala. Variæ sunt atque multiplices commotiones pro dissimili modo quo res objectæ sensibus impressæ animis effinguntur. Sicut sanitas & morbus affectionum humani corporis principes, ità gaudium & mœror inter animi motus præcipui. Plenè planèque innotescet utriusque passionis dissimilitudo mollius quiddam leviter ex unâ manu, & ex alterâ quiddam asperius graviter attrectanti. Scilicet hinc suaviter, illinc duriter affici se fatebitur: Porrò gaudere vel dolere quid aliud est? In varias classes distinctæ sunt à Philosophis passiones quibus ferocibus frænum injicere studuerunt incassùm plurimi. Qui eas ab animo viri sapientis exulare penitùs ἀπάθειαν professi voluerunt; Næ illi parum intellexère quid hominis ferret natura. Pro discriminibus quæ inter animi pathemata velut edictô statuerunt, non unum appetitum finxerunt loco seclusum, sine distinctum, qui esset fons & origo undè cuncta profluerent. Sic irascentem appetitum in corde, concupiscentem in jecore posuerunt. Quotquot celebrentur illustriora passionum genera, non in aliâ primùm concipiuntur parte quàm in cerebro. Ex eo prodeunt in lucem. Ubi velut in Regiâ sedet anima. Ubi cuncta regit ad nutus. Ubi præclara sensuum obit munia, passiones ibi cuduntur: Quæ sunt inordinatæ motiones animæ tranquillitatis corporeæ perturbatrices.

NUSQUAM impunè passiones visæ: leviores etiam loquuntur. Τὰ πρῶτα πάθη gaudium & dolor τὰς μειώσεις καὶ τὰς ἐπάρσεις inflationes & extenuationes; τὰς συστολὰς καὶ τὰς διαχύσεις contractiones & effusiones efficiunt. Voluptatem πάθος οἰκεῖον exceptura sinus quasi suos pandit anima. Molestiam πάθος ἀλλότριον expulsura poros in angustum deducit. Humores rarefacti distenduntur hilaritate quod simul ac res gratior allapsa est sensibus, ejus dulcedine tantoperè mulcetur anima, ut quasi catenis allecta feratur in ejus amplexus patriis laribus relictis. Ad animæ verò impetum non exiliunt solum humores; sed & oscula partium dehiscunt. In mœrore spiculis undequaque transverberantur sensus. Hos imminentes sibi mucrones retundere, vel à se rejicere procul anxiè studet anima. Nec mora secedit in partes penitùs abstrusas corporis, ut tum fugâ, cùm occultatione se se tutetur. Animam exulem à partibus externis ad internas præcedunt, vel etiam sequaces consequuntur humores. Hinc dum languet animus, pallor in ore sedet absente sanguine; quo præsente rubet os, ignescunt oculi, genæ purpurascunt dum gaudio triumphantes exultamus. Affectus hi duo tam dispares pari ratione homines aliquandò sustulerunt, historiæ si qua fides. Corporis ab animâ disjunctio mors est. Quoties ergò trahimur in diversa tam fortiter ut partium perturbetur ordo, situs immutetur, solvatur syntaxis tunc necessario & ineluctabili fato decedimus. Licèt è cerebro ducant originem animi pathemata, non in hâc parte corporis conclusa detinentur. Erumpunt illa siquidem & latiùs diffusa lucem aliquando sensibus omnem adimunt. Horum impetus per nervos ad cor hujus, ut aliarum partium motores pertinet. Passionum tempestate non potest jactari pars à quâ cursûs sanguinis principium; quin solitus ille cursus sanguinis interturbetur. Hinc symptomatum ilias. Si pede lentiori deerret per pulmones liquor vitalis, pectoris angustiam facit ac interclusionem. Si ex corde delatus in arteriam venosam ruat præceps in modum torrentis, nec pulmo dilatatur satis, nec satis contrahitur ad illius refrigerium. Idcircò totus ardet brevi thorax, & flammarum hostilium propagatione brevi quoque reliquæ partes aduruntur. Nec ferè minùs vis conspicua passionum in præcordiis. Quibus ea vestiuntur musculi vel extrorsùm explicantur, vel introrsùm facillimè adducuntur; quod solidiori nulli parti adhæreant, quâ obnitente coërceantur. Quia venter suo continet ambitu capaciora sanguinis receptacula jecur & lienem, quum rarescit gaudio vel dolore concrescit sanguis, hi motus in his partibus multiplicem sortiuntur effectum. Foràs protrusâ vel intùs nimis adactâ flammâ vitali cum sanguine suo solo fomite, custode, conservatoreque facultas naturalis tota languescit penè moriens. In fœminis si perturbatio perveniat ad uterum; ut eam partem plura vasa fœcundant & irrigant, ab eorum impulsu quales excitantur tragædiæ. Passionum princeps lætitia risum habet vulgò comitem, ut quæ huic opponitur ex adverso tristitia ejulatum. Nunc remissior nunc intensior est animi motus. Et in hunc vel illum magis aut minùs homines incurrunt.

UT mare quod naturâ suâ tranquillum est vi reflantium ventorum quotidiè non turbatur. Sic & hominum corpora pacis amica quotidiè non sustinent impetus animi pathematum concitatiorum. Hæc monstris propè similia non ità frequenter caput exerunt. Et quemadmodùm illa contrà jus & leges nascuntur in opprobrium naturæ; pariter hæc suscitantur in nostram perniciem. Tanta animorum effrænatio non proficiscitur nisi à causis efficacioribus. Altè debet imprimi sensibus objectum, premi nervos fortiter, gravissimè concuti cerebtum, & molem universam sanguinis oportet. Nec satis itâ fit affectus sanguis necesse est ut illius semel moti fluctus facilè non componantur. Ut in nervis, venis & arteriis æstuet quasi mustum in dolio. Ut partes quas attingit, pungat ac dividat. Ab hoc motu sanguinis concitatiore præcipuè pendet vehementia passionum. Prout ille magis aut minùs acriter fibras vasorum feriet atque membranas: pertutbatio subsequetur major aut minor. Fidem hujus faciunt qui vino madent. Dum furit admissus eorum visceribus Bacchus, inflammantur ad omnes ferè cupiditates distottis opinionum judiciis. Ac quoniam tristitia sanguinem cogit quem laxat voluptas. Ut ad utrumque motum proclivior aliquis reperiatur: sic à naturâ constitutus esse debet ejus sanguis, ut pro re natâ nunc distendatur, nunc opposito velut motu elastico contrahatur. His adde singularem partium motui inservientium διάθεσιν. Ut in fune ductario siccitas requiritur: sic aliqua debet inesse fibris quò sint aptiora motuum insigniorum instrumenta. Prout adhuc animus potentior sedet ad gubernacula tam artuum quàm humorum, eò dat iis fræna faciliùs. Quod si compede vinctus Rex ipse regatur, effrænis futura est passio. Pone jam calculum. Hominis naturam perpende. Non alium invenias à Melancholico qui telis pateat acutioribus cupiditatum. Sanguis ejus totus igneus, æstu novo accedente passionum mirè effervescit. Disseminatæ per totum corpus hæ flammæ partes singulas altè pervadunt & in motus varios sinè lege sinè ordine concitant. Hic sanguis naturâ crassior, tenaciùs adhæret partibus quas terebrat magis ac magis immorando. Calor eximius qui excellit in Melancholicis comitem sibi accersit siccitatem. Quæ sit in corpore sicco motûs impressio latiùs diffunditur quàm in humidiori; quòd poros humor obsideat qui eam ulteriùs evagari non sinit. Hâc ratione si nervi Melancholicorum impellantur ab objectis, hic impulsus ab unâ parte serpit in aliam intrà breve tempus. Atque ut nervi sicciores intenduntur magis: ita magis trahuntur musculi quos ipsi trahunt. Quî teneatur modus in hâc rerum confusione. Sicut corpus, sic quæ assidet anima corpori, vehementer jactatur.

SIVE gaudeant sivè doleant Melancholici, auream vix servare queunt mediocritatem. Gaudij proles, amor. Quis in ejus palæstrâ contendere audeat cum Melancholico? Noctes diesque tentigine rumpitur. Quàm facilè veneris avis Columba veneri litat; tam facilè Melancholicus. Sed si quid suum celat vel moratur amorem: quâ constantiâ totus est in his removendis ac superandis impedimentis. Nulli labori parcit ut optato fine potiatur. Quem si demùm non assequitur quod impervia turris ahenea suam includat Danaën; vel ipsa Danaë turre surdior aheneâ non ingemat amantis fletu, non precibus, non miseriis commoveatur, intrà breve tempus marcescit, consenescit & tabescit miser; quòd amoris quo ardet foco non erumpente foras vitalia depascantur. Odium adversatur amori. Sicubi penitiùs insitum & inustum animis hominum viget, maximè Melancholicorum. Illi propositi tenaces atque adeò memores injuriarum nihil non moliuntur quò pœnas ab inimico repetant. Nullum locum prætermittunt in quo non huic instruant insidias. Totâ mente semper dè ejus pernicie cogitant. Nec inveterata hæc ira prius expletur quàm vel igne vel ferro pereat sublatus hostis. Desperatio ægritudo est sinè ullâ rerum expectatione meliorum. Passionum omnium teterrima fœdissimaque, mentis humanæ scopulus turpissimus ad quem quum allidit naufragatur. Quem inficit potiùs hæc pestis quàm Melancholicum? Si semel halitus niger ex ejus alvo sursùm ad corporis arcem elatus animæ tenebras offundat: nihil est tam à ratione alienum quod non meditetur; nullum est facinus tam atrox quod in hâc cerebri caligine non perpetret Melancholicus audax omnia perpeti. Sic sæpè vidimus illum sibimet infensum tunc temporis violentas sibi manus inferre, vel ex ponte præcipitem se dare in flumen rapidius, vel in collum illato laqueo antè diem ultrò in exitium ruere. Tanta vis est passionum in Melancholicis ut non solùm vigiles, sed etiam dormientes iis propè percelli videantur. Ità confuso motu sanguinis sæpè turbati surgunt è lecto, sumunt arma manu, & ense districto jugulum nil tale timentium amicorum furiosè petunt. Quod si posthâc pro tranquillitate animi moderationeque Melancholicorum pertinaciter adhuc pugnas. Vide quæso quàm sæpè mens eorum dè sede, statuque suo dejiciatur. Ut delirio tententur citò vel phrenitide, si semel igne febrili calent. Facilis hic recessus à sanitate mentis probat luce clariùs quarum seditionum stimulator & concitator esse queat melancholicus humor. Certè hujus turbido motu Leone sævior homo, Tigride crudelior, voracior Cane, Sue fieri potest impurior.

Ergò Melancholicis animi motus vehementiores.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus de Iouvanci.
M. Nicolaus Raveau.
M. Germanus Preaux.

M. Petrus Dacquin, Medicus Regis ordinarius.
M. Ioannes Cordelle.
M. Petrus Ozon.

M. Claudius de Frades.
M. Ægidius le Bel, unici Fratris Regis Medicus ordinarius, & Pharmaciæ Professor.
M. Abrahamus Thevart.

Proponebat Lutetiæ ANDREAS ENGUEHARD, Baccalaureus Medicus Constantiensis. A. R. S. H. MDCLXXVI.